

I.

De s. Cyrilli Hierosolymitani vita.

1. S. Cyrilli vita, quae sit ab aliquo aequalium aut eorum, qui paulo post fuerunt, conscripta, nulla exstat, nec tantum suis consiliis atque opera ad eas, quae illa aetate exstiterunt tempestates sane quam turbulentas valuit sedandas aut augendas, ut qui de illis temporibus memoriae tradiderunt rerum scriptores aliter atque data occasione quae memoratu digna viderentur facta ab eo dictave reliquerint. Atque haec quidem, quaecunque reperiri potuerunt ad Cyrilli vitam, mores, personam, res gestas, doctrinam, scripta pertinentia collecta sunt diligentissime atque praeclara conditione ac doctrina et admirabili subtilitate inquisita, excussa, digesta, adornata sunt ab A. Tutteo, monacho Benedictino, editore scriptorum huius clarissimo. In cuius dissertatione, quam qui nuper Cyrilli scripta edere inchoavit G. C. Reischl¹⁾ integram repetivit, quamquam insunt pauca, quae adhuc diligentem inquisitionem desiderent, tamen ne minutulis quaestionibus molestiam afferre videremur huius programmatis lectoribus, iis, quibus eosdem magis iri delectatum spes erat, selectis, brevem vitae eius descriptionem satius habuimus ponere ex ipsius scriptis aut veterum qui de eo memoriae prodiderunt scriptorum verbis adumbratam.

2. Natus igitur est s. Cyrillus, ut ex coniectura satis probabili efficitur, circiter annum 315., et patria videtur Hierosolymitanus fuisse. Certe loquitur de sacrorum locorum illius regionis quae fuerit ante, quam imperatoris Constantini

¹⁾ S. Patris n. Cyrilli Hierosol. archiepisc. op. quae supersunt omnia. Vol. I. Monaci 1848. Alterum vol. ed. Jos. Rupp. ibid. 1860.

munificentia essent exornati, conditione ita, ut puer eos vidisse et oculis lustrasse videatur. Dicit enim catech. 12, 20, auditores Hierosolymitani quum sint, novisse eos Bethlehem ante paucos annos fuisse locum silvestrem, et catech. 14, 5, ubi crucifixus sit Christus, hortum fuisse, cuius, etsi iam maxime sit regis donis exornatus, manere tamen vestigia et reliquias, itemque ibidem c. 9. eam quae fuerit ante Salvatoris monumenti ostium speluncam ex ea ipsa petra, sicuti soleat ibi in foribus monumentorum fieri, excisam, iam non apparere, quod sit olim erasa propter eam quam videant exornationem.

3. Adolescens dicitur in Synaxario Graeco (Reischl p. CLX) monachus fuisse et ascetes; non ille quidem in coenobio aliquo degens, sed qui domi vitae asceticae quos non semel descripsit labores toleraret voto continentiae obstrictus. Quod quanquam alibi nusquam legitur, facile tamen ut credamus adducimur ipsius de hoc instituto τῶν μοναζόντων loquendi ratione. Primum enim τῶν μοναζόντων, quos cum virginibus confert, ordinis eximia laus est catech. 4, 24. 25, ubi quum de corpore sancte casteque conservando, aut per poenitentiam abluendo dixisset: Atque eum, inquit, qui est de castitate sermonem praecipue auscultet Monachorum (τῶν μοναζόντων) et Virginum ordo, qui Angelis parem vitam in mundo instituunt; deinde catech. 12, 33. cohortans Virgines, ut propter eam quae sibi cum Beata Virgine eademque dei Matre Maria intercedat aequalitatem, „agnoscant proprii instituti decus et coronam,“ de ordine τῶν μοναζόντων idem ita praedicat, ut iisdem se videatur adiungere. Agnoscat, inquit, etiam monachorum ordo puritatis gloriam. Non enim sumus privati integrae castitatis dignitate, eius rei causam repetens ex eo, quod Dominus vir esse voluerit tres annos et triginta. Et deinceps (c. 34) qui mores, qui habitus debeant esse describens: Omnes autem, inquit, castitatis cursum Dei gratia curramus, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus, non lascivias sectantes, sed laudantes nomen Christi. Ne simus immemores puritatis quae sit gloria. Angelicum enim est decus et supra humanum bonum opus (κατ'ἄρθρον). Vereamur corpora quae erunt aliquando sicut sol lucentia. Ne propter parvam voluptatem tale ac tantum corpus inquinemus. Parvum enim et ad tempus peccatum, multorum vero annorum et aeternum opprobrium. Angeli sunt in terra ambulantes ii qui puritati operam navant; virgines cum Maria Virgine partem habent. Eliminetur omnis cultus exquisitior et omnis noxius aspectus et omnis deambulatio dissoluta et omnis stola (tunica longior ad talos demissa et manicata) et omne suffimentum, voluptatis illecebrae. Suffimentum vero in omnibus sit precatio boni odoris et bonorum operum et corporum consecratio, ut qui e Virgine natus est Dominus dicat etiam de nobis et viris integritatem servantibus et feminis coronatis: Inhabitabo in illis etc. (2. Cor. 6, 16.)

Huic igitur ascetarum, qui dicebantur, ordini addictus, quorum quale fuerit institutum ex iis quae ex ipso Cyrillo attulimus optime posse pernosci puto, ille

admodum adolescens diaconus a s. Macario, ut videtur, ordinatus est, annos circiter viginti natus, presbyter vero ab eo, qui in illius locum successit, Maximo, aetate, si credimus Tutteo, qui accuratissime hanc rem inquisivit, legitima triginta fere annorum. Atque ita presbyter episcopo probatus est, ut ad catechumenos, qui proxime abessent, ab initiatione, catecheses per plures annos habere ei licuerit. De quibus quidem catechesibus mox viderimus, nunc contra Arianos qualis fuerit, paucis dicamus.

4. Distracta ac misere afflicta Ecclesia Arianorum turbis Cyrillus multorum tum temporis exemplum imitatus quum contentiones ut qui maxime aversaretur satius duxit quasi quendam medium se tenere inter Homousianos et Eusebianos, illos a Sabelliana haeresi proxime abesse ratus, hos plane haereticos habens. Cuius rei quod parum explorata ei fuerit ratio, est sane dolendum. Sed tamen etsi a vocibus *ὁμοούσιος* et *ὑποστάσις* consulto abstinuisse videtur, nisi quod in epistola ad imperatorem Constantium missa dixit *ὁμοούσιον τριάδα*, a vera doctrina nunquam in catechesibus recedit, immo de Deo Filio quasi ambagibus utens orthodoxam profitetur fidem.

5. Episcopus creatus (circ. a. 350), in publica egestate multitudinis necessario victu carentis in episcopum conversis oculis, quum non haberet quibus opem ferre posset divendidissetque thesauros atque ipsa sacra vela; quendam narrat Sozomenus (h. e. 4, 25) suo donario agnovisse mulierem scenicam amictam, et quum inquisisset curiosius unde haberet, deprehendisse, mercatorem ei illud vendidisse, mercatori autem episcopum. Hanc causam praetexentem Acacium Caesareensem, metropolitam, quocum graves ei de principatu et metropolitico iure suscipiendae fuerant contentiones, illum deposuisse. Qui sive hac causa usus est, qua nihil potest magis laudi esse Cyrillo, sive quod iudicium suum subterfugisset, certe deposuit Cyrillum, qui Tarsum se contulit ibique hospitio usus est Silvani episcopi Semiarianis addicti. Non multo post a concilio Seleuciensi depositus est Acacius (a. 359). Qui nihil quiescens quum ad imperatorem se contulisset eiusque animum ea quam supra memoravi re exornata atque exaggerata ¹⁾ in Cyrillum maxime commovisset, coacta Constantinopolim synodo inter alia quae impie egit Cyrillum deposuit impetravitque ab imperatore, ut exsilio multaretur.

¹⁾ Theodoret. 2, 27: Οὐχ ἥμισυ δὲ αὐτὸν χαλεπῆσαι πεποίηκεν ἀ κατὰ τοῦ Κυρίλλου συντέθεικε· τὴν γὰρ ἱεράν στολήν ἣν ὁ πανεύφημος Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς τὴν ἱεροσολύμων ἐκκλησίαν γεραίρων δεδώκει τῷ Μακαρίῳ τῷ τῆς πόλεως ἐκείνης ἀρχιερεῖ, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος τὴν τοῦ θεοῦ βαπτίσματος ἐπιτελήσει λειτουργίαν· ἐκ χρυσῶν δὲ αὐτῆ κατασκευάστο νημάτων· πεπρακέναι τὸν Κύριλλον ἔφη, καὶ ταύτην τινὰ τῶν ἐπὶ τῆς θυμέλης λυγίζομένων πριάμενον περιβαλέσθαι μὲν, ὀρχούμενον δὲ πεσεῖν καὶ συντριβῆναι καὶ θανάτῳ παραδοθῆναι.

6. Sed hoc feliciter ei evenit, ut sublato anno 361 exeunte Constantio Julianus apostata quamvis prava voluntate ductus omnes qui in exsilio essent episcopi sive catholici sive haeretici ad suas quisque ecclesias ut redirent permetteret. Revertens autem Hierosolymam Antiochiam videtur attigisse, cui Meletius adolescentulum commisisse dicitur a Theodoreto (h. e. 3, 13). Ac Meletii quidem communione quod usus est, non mediocriter impetitus est a multis rei catholicae tum temporis defensoribus. Adolescentis autem illius ita memorabilis est historia tamque expressa illorum temporum in ea cernitur quasi quaedam imago, ut temperare mihi non possim, quin totam adiciam. Est autem haec. Fuit adolescens quidam filius flaminis Apollinis Daphnaei. Quem mulier quaedam ob pietatem nobilis, diaconissa, huius matri perfamiliaris, admodum adolescentulum magnopere est ad veram pietatem cohortata. Matre igitur mortua venit ad eam ille et consuetam ab ea disciplinam perdidit. Atque penitus animo mentique mandatis consilii praeceptisque percontatur magistram, qua via possit superstitionem patris devitare eiusque quam illa praedicaret veritatis compos fieri. Cui illa: Oportet, inquit, patrem deserere et alteram petere civitatem, in qua possis latitare et impii tyranni manus effugere; pollicebaturque se ei rei esse prospecturam. Tum adolescens: At, inquit, deinceps veniam ad te, et tibi meam animam committam. Paucis interpositis diebus imperator Julianus quum Antiochiam venisset, contendit Daphnen, haud procul ab Antiochia sitam, ubi erat in luco amoenissimo Apollinis Daphnaei templum celeberrimum, publicum epulum facturus; unaque proficiscitur sacerdos, adolescentis pater, qui imperatorem comitari consueverat. Ipse adolescens et frater erant una, aediuorum munere fungentes. Per septem autem dies festum Daphnae agi solebat. Primo igitur die ubi toro astans imperatoris obsonia aqua lustrali expiavit „constitutoque scelere polluit“, ire contendit Antiochiam ad mulierem illam, et: Ego, inquit, venio ad te, uti a me promissum est; tu igitur saluti tam corporis quam animi consulto promissumque praestato. Quae extemplo illum deducit ad Meletium, qui eum in superiore parte aedium in quibus habitabat commorari iussit. Pater quaerere filium, perlustrare undique Daphnen, ad urbem properare, circuire plateas et angiportus. Ubi ad Meletii aedes ventum est, sublatis oculis videt eum ex tabulato prospicientem. Unde eum abstractum domumque reductum permultis inflictis verberibus, veruculis candentibus in manus, pedes, dorsum impactis, conclusit in cubiculo ipseque Daphnen revertitur. Adolescens autem divinitus instinctus omnia patris simulacra confringere, imbecillitatem eorum irridere. Postea vero complexus animo facinus, quod conceiverat, coepit patris adventum pertimescere, oravitque Christum Dominum ut sibi ferret auxilium, seras perrumperet, ostia patefaceret. Tua enim, inquit, causa haec et perpessus sum et admisi. Quae quum dixisset, exciderunt serae, aperta sunt ostia. Recurrit igitur ad magistram, a qua muliebri veste indutus quum parumper delituisset, iterum ad Meletium deductus est, a quo commissus Cyrillo noctu ivit in Palaestinam. Atque haec quidem Theo-

doretus dicit ab ipso adolescente, quum ille iam admodum senex esset, sibi esse narrata. Cyrillo autem non solum ex huius insperata salute magnum, ut par est existimare, capere gaudium licuit, sed allatus est etiam cumulus gaudii, quod patrem a filio vidit post mortem Juliani ad veram religionem traductum.

7. Sed instabant novae turbae Cyrillo a Judaeis. Iusserat enim Julianus Judaeos, quos contra Christianos excitaret, templum Hierosolymitanum dirutum de integro exstruere, ad quod efficiendum ipse plurima suppeditavit atque etiam praefectum misit operis, idoneum sane, ut ait Theodoretus (h. e. 3, 17), impiorum mandatorum administrum. Non exigua erat ipsorum Judaeorum commotio. „Interea“, Rufini sunt verba (h. e. 1, 37). „Judaei insultare nostris, ac velut reparatis sibi regni temporibus comminari acrius, ac saevitiam ostentare, prorsus immani tum more ac superbia agere. Cyrillus post Maximum confessorem Hierosolymis episcopus habebatur. Apertis igitur fundamentis, calces fundamentaque adhibitae, nihil omnino deerat, quin die postera, veteribus deturbatis, nova iacerent fundamenta: quum tamen episcopus diligenti consideratione habita vel ex illis, quae in Danielis prophetia de temporibus legerat, vel quae in evangelii Dominus praedixerat, persisteret, nullo genere fieri posse, ut ibi a Judaeis lapis super lapidem poneretur.“

— Nota sunt satis quae secuta sunt, nec huius loci est recensere singula. Unum singularis quaedam quae ei cum Cyrillo intercedit necessitudo facit ut praetermittere non possim. Eadem enim illa funestissima Judaeis nocte refert Theodoretus (h. e. 3, 17) et prostridie rursus fulgentem crucis salutaris formam in coelo visam esse, atque etiam ipsa Judaeorum vestimenta crucis figuris non splendentibus illis quidem, sed atro colore confectis repleta fuisse.¹⁾ Quae res, ut ait Gregorius Nazianzenus (l. l.), spectantium animos tanto stupore affecit, ut omnes paene quasi ex signo uno atque una voce Christianorum Deum invocarent eumque multis laudibus precibusque placare studerent; multi etiam non in longius rem extrahentes, sed eodem ipso tempore, quo haec acciderunt, ad sacerdotes nostros properantes adhibitis multis precibus in Ecclesiam admissi ac sublimioribus mysteriis imbuti sint Deoque consecrati baptismate atque ex timore, ne timerent utilitatem consecuti.

Ex tanto tamque evidenti miraculo quos in rem christianam redundare vidit fructus Cyrillus, non potuerunt ii eius non laetum reddere animum. Neque hoc solum miraculum illa aetas vidit. Nam anno 351 nonis Maiis circa horam tertiam (i. e. nonam matutinam), ut ipse ait Cyrillus in epistola, ea de re ad imperatorem

¹⁾ Gregor. Naz. Or. IV. p. 113 ed. Colon.: ἐπιδειξάτωσαν ἐπι καὶ νῦν τὰς ἐσθήτας οἱ τοῦ θαύματος ἐκείνου θεαταὶ καὶ μύσταὶ τὰς τότε κατασημανθείσας τοῖς τοῦ σταυροῦ στίγμασιν. Ὁμοῦ τε γὰρ ταῦτα διηγείτο τις (εἴτ' οὖν τῶν ἡμετέρων, εἴτ' οὖν τῶν ξένων) ἢ διηγουμένων ἤκουσε, καὶ τὸ θαῦμα ἐώρα παρ' ἑαυτοῦ ἢ τῶ πλησίον γινόμενον κατάστροφος ὄν, ἢ ἐκείνον ὄραν τοιοῦτον ἐν τοῖς ἐσθήμασι πάσης ἱστορικῆς ψηφιδῶς ἢ περιέργου ζωγραφίας ποικιλώτερον.

Constantium missa, quae exstat, „Crux permagna e luce constructa in coelo super sanctum Golgotham et usque ad sanctum olivarum montem expansa apparuit, non uni et alteri tantum inspecta, sed universae civitatis multitudini evidentissime ostensa; neque, ut aliquis forsitan putaverit, celeriter in imagine praetervolans, sed compluribus horis super terram oculorum visu spectata et coruscantibus fulgoribus solares radios superans.“

8. Sed ut ad ipsum Cyrillum revertar, rursus Valente imperatore expulsus, Arianis, Apollinaristis, Pneumatomachis turbas cientibus in illa regione, mortuo demum illo ad sedem suam redire potuit, ex quo tempore usque ad mortem, ut ait Hieronymus (catal. c. 122.), inconcussum episcopatum tenuit, et contigit ei, ut Concilium generale Constantinopolitanum in synodicis litteris egregium ei testimonium redderet hisce verbis: Hierosolymitanae omnium ecclesiarum matris reverendissimum ac Deo dilectissimum Cyrillum episcopum esse, olim ab episcopis provinciae secundum canonum rescripta ordinatum multaue in variis locis contra Arianos certamina expertum.

Mortuus est septuaginta fere annos natus c. a. 386.

II.

De s. Cyrilli catechesibus.

9. Verbum *κατηχήειν*, unde est catechesis, apud veteres scriptores haud ita saepe legitur. Apud eos autem, qui non multo ante Christum natum et postea graece scripserunt, frequentior eius est usus. In christianorum vero scriptis inde ab ipsis N. T. libris idem vocabulum quaeque ab eo sunt derivata et saepissime occurrunt et singulari valent potestate. Atque in N. T. quidem quatuor locis idem fere hoc nomen valet ac christiana vel ea quae est de Christo instituere doctrina: Luc. 1, 4; id. Act. 18, 25; 1. Cor. 14, 19; Gal. 6, 6. Quinto loco Rom. 2, 18 idem simili plane ratione ad doctrinam Mosaicam accommodatum est. De sexto, qui unus reliquus est, Act. 21, 21 dicitur infra. Jam ab iis qui secuti sunt ecclesiasticis scriptoribus ita huic verbo videmus civitatem esse datam, ut propria in illa quam dixi re valere videatur potestate. Neque vero de institutione, quae fit viva voce, ut aiunt, usurpatur. Eusebius enim h. e. 4, 25 Dionysii Corinthiorum episcopi epistolam ad Lacedaemonios missam dicit *ὀρθοδοξίας κατηχητικῆν*, quae eadem est Nicephoro 4, 5 *κατήχησιν περιέχουσα ὀρθοδοξίας*.